Ad D: Emanuelem de Lyra. 24 Apr. 1677.

Asinus ad Lyram. (524).

S

Si vales, bene est
Si solvis, melius,
Si non cessas valere
et solvere
Optimè

S.

N: Heinsio.

Nicolao Heinsio
Viro Amplissimo doctissimoque
C. Hugenius.
S. (525).

Non properavi, Vir amicissime, hoc te Poematio, jam excuso demum obtundere, ut cujus te satias pridem cepisse debet. Ecce exemplarculum tamen, quale cum paucis amicorum hinc inde communicavi, et favetur senili Musæ longe præter expectationem meam. Alteram chartulam si digneris Illustrissimo Principi Præsulique nostro mittere, cùm scribendi occasio erit, feceris mihi quidem rem non ingratam, sed quam ipse aggredi non ausim. Tenue Munusculum est mole ac stilo. At quod ille harum amoenitatum eruditissimus cultor, quâ est mirabili humanitate, cursim inspicere non volet aspernari, tuâ certè manu oblatum, an et calculo commendatum. Vale, et quid rerum agas in illo tam tranquillo secessu, fac, ubi otium erit, subinde sciamus. Hagæ Com. IIX. Anni CIƆIƆCLXXIIX. quem tibi a capite ad pede precipuè sanum et jucundum opto.

N: Heinsio.

Summo Viro
N. HEINSIO D. F.
C. Hugenius a Z.
S. (526).

Meâ tibi manu triplices ago gratias, Heinsi amicissime, Patris, inquam et filiorum nomine, pro insigni ac literatissimo munusculo singulari. Tantò illa gratiora unicuique nostrûm obvenerunt, quod de valetudine tuâ, ad hæc tanta sufficiente, melius sentiendi causam dederint, quam quis facile sperasset, sequimur enim te absentes, quocumque migras, ac talem te hodie cogitantes, qualis a nobis decedebas. vix

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 182r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7068